

formare ad beneplacitum Dei, & nihil magis timere, quam ne Deum offendat; mox gustare incipiet, quam dulcis sit Dominus: & implebitur erga eum quod sequitur, In æternum misericordia eius, & usque in generationem & generationem veritas eius, id est, veracitas & fidelitas eius.

## P S A L M . C.

## Titulus, &amp; Argumentum.

Ipsi David Psalmus.

**I**N hoc Psalmo David explicat exemplo suo, qualis debeat esse bonus Princeps, tum erga familiares, & priuatam suam dominum; tum erga Rem publicam. Et quidem in extu hebraico omnia dicuntur per verbata temporis futuri; ex quo intelligimus, Prophetam Regium, non tam cantare Laudes proprias, quam optare, & petere a Deo gratiam bene imperandi, & proponere, ac statuere sic vivere, ut pium Regem decet. Sed quoniam Septuaginta Interpretes verterunt ferè omnia in tempus prateriti imperfecti, & eorum interpretationem sequitur est Latinus interpres; non oportet negare, quin etiam Propheta Regius narret bona opera sua ad informados successores, ac potissimum filium; neque id superbia, vel arrogantia tribui debet, quando vera dicuntur coram Deo, & ad finem bonum. sic enim idem David in Psal. 17. multa cecinit de sua innocentia. Sic Iob cap. 29. plurima de suis benefactis prædicauit. Sic Hester cap. 14. sic Nehemias cap. 6. sic Ezechias 4. Reg. 20. sic alij. Porro Pharisæus in Evangelio, non reprehendit quod gratias egerit Deo de suis operibus bonis; sed quod superbè illa iactauerit, & proximum suum contempserit Luc. 18. Adde, quod David, ideo incipit Psalmum ab illis verbis, Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine, ut ostendat, bonorum operum suorum causam efficientem fuisse tum misericordiam Dei, cuius dona sunt opera nostra bona: tum iudicium Dei, cuius timore adductus iuste-

tiana coluit.

## EXPLICAT. PSAL. C.

**M**isericordiam, & iudicium canta-bo tibi Domine. I

Hęc est quasi præfatio totius Psalmi, quę significat Propheta, se cum cantu celebraturum, misericordiam, & iudicium Domini, cuius rei multæ sunt causæ: prima, ut omnes intelligent benefacta Dauidis, quę in Psalmo commemorantur, esse dona misericordiæ Dei, coronanda postea per iustum iudicium Dei: secunda, ut Principes admoneantur, Deo maximè placere misericordiam, & iudicium, & ideo ipsi quoq; misericordes sint, sed non iusti; iusti, sed non crudeles: tertia, ut omnes homines sperent de misericordia Dei, & timeant iudicium Dei: non ita sperent, ut præsumant, non ita timeant, ut desperent. Posuit autem Dauid primo loco misericordiam, deinde iudicium, quia hoc tempus præsens misericordiæ est, futurum erit iudicii; & ideo nemo miretur, si hoc tempore Deus solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

Pfallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. II.

Hic versiculus pars est præfationis. dicit enim Propheta, se non solum voce cantaturum misericordiam, & iudicium Dei, sed etiam per instrumentum, id est, psalterium celebraturum; & mente consideraturum, & contemplaturum. Pfallam, inquit, id est, psalterium manu pulsabo, ut voce mea, & voce psalterii decantem misericordiam, & iudicium: & intelligam in via immaculata, id est, considerabo, attendam, cogitabo viam immaculatam, & perfectam, quę consistit in Misericordia, & iudicio: nam omnes viæ Domini misericordia & veritas. similis est locutio in Psalm. 40. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem. a qui attente considerat miseriam pauperis, ut eam subleuet. Sic igitur hoc loco dicitur, intelligam in via immaculata, id est, attente considerabo viam immaculatam, ut ambulem per eam. Quando venies ad me, id est,